

R. 1.^o Affirm. de jure Can.; ita definit Trid. S. 24. c. 1. *pr. de ref. matr.*; cui consonat jus antiquum *Can. 2. sufficiat*, 27. q. 2. c. 13. 14. 23: 25. *de sponsal. c. 12. de Regul. c. 7, de raptor.* in quibus juribus ad valorem matrimonii requiritur solus consensus contrahentium, non verò parentum. Nam liberi quoad spiritualia et electionem status non substant patriæ potestati: unde etiam sponsalia, sine consensu patris inita regulariter sunt valida, excepto casu, quo matrimonium iniretur cum gravi offensa; patris tunc enim, cum obligarent ad aliquid illicitè agendum, non essent valida. Neque pater talia sponsalia irritare potest, quia patriæ potestati non præjudicant (S. D. 2. q. 104. a. 5. *in corp.*)—His non obstant *Can. 1. aliter* 30. q. 1. *et Can. 3. cum seq.* 30. q. 5. c. 3. *qui matrim. accus. pr. In. de nuptiis* l. 2. 18. *ff. de rit. nupt.* Nam jura civilia hic non curantur: Canones verò rectè conciliantur cum aliis juribus, dicendo nuptias sine consensu patris non esse legitimas aut justas quoad honestatem et licitatem; quia regulariter sunt illicitæ, quatenus filius aut filia omittit aut contemnit judicium paternum in re tam gravi.

2.^o Pater ad certum matrimonium cogens filium aut filiam, per se graviter peccat; nam tollit plenam libertatem à jure concessam, est causa tristem eventum ex matrimonio coacto consequentium: non tamen incurrit excommunicationem latam à Trid. S. 24. c. 9. *de ref. matr.*; nam ibi sermo est tantum de dominis temporalibus et magistratibus ad certa matrimonia cogentibus. Si tamen adsit urgentissima causa maximè boni publici, v. g. propter bonum pacis, licebit patri filium aut filiam compellere ad certas nuptias, cum in tali casu liberi teneantur patri obedire.

3.^o Filius in contrahendo matrimonio nolens sequi consilium aut præceptum patris, non potest ideo exhæredari; nam casus iste non numeratur in *Nov. 115. cap. 3.* An verò de jure statutorio talis exhæredatio, vel dotis negatio induci possit, dubitant DD. Negativè subscribunt Abb., Sylv., Nav. Clar., Covar., Sanch., Gobat etc. Affirmant. Bald., Sot., Laym., Zoes, Schmalz. et alii, quorum sententia videtur probabilis; saltè pro illo casu, quo nuptiæ contrahuntur cum personis indignis et vilibus; nam statutum istud cohonestatur ob utilitatem publicam, ne sanguis illustris commaculetur, discordiæ et scandala oriantur, ut reverentia liberorum erga parentes conservetur, abusus et temeritas libertatis restringatur: et ita fertur practicari in Lusitania, Bavaria etc. Nec in hoc casu sæcularis potestas disponit de rebus spiritualibus, sed præcisè punit abusum libertatis et contemptum parentum. At si liberi sine consensu parentum dignas suo statu ineant nuptias, judico tali pœnæ non esse locum; quia jure suo utentes, nullique injuriam facientes, non sunt puniendi; et aliunde libertas matrimonii talibus pœnis non est coarctanda (c. 29. *de sponsal.*)

TITULUS III.

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE. ^a

37. In hoc tit. examinatur impedimentum *clandestinitatis*, quod oritur: —1.^o Ex omissione publicarum denuntiationum:—2.^o Ex omissione publicæ præsentia parochi et testium.

38. Q. I. *An matrimonio præmittendæ sint denuntiationes publicæ?*

R. 1.^o Affirmativè ex Conc. Later. c. *fn. pr. h. t.*, cui inhæret Trid. S. 24. c. 1. *de ref. matr.* Nam Episcopi et parochi est curare, ut honestè et sine impedimentis matrimonia contrahantur; ad hunc verò finem potissimum inventæ sunt denuntiationes publicæ, ut si quis de populo impedimentum novit intersponsos, illud intra præfixum terminum manifestet coram parochi. Porrò præceptum eas faciendi cum sit grave, concernens reverentiam Sacramenti, regulariter obligat sub mortali; non tamen est irritativum, ut sæpius declaravit S. C., quia decretum irritans in *cit. Trid.* afficit posteriorem dispositionem de præsentia parochi et testium, non verò priorem de faciendis proclamationibus. Neque contrarium elicitur ex ablativo: *denuntiationibus factis*: siquidem ablativus iste significat conditionem accidentalem de præcepto, non verò substantialem de necessitate ad valorem matrimonii.

2.^o Denuntiationes faciendæ sunt tribus diebus festis continuis in Ecclesia inter Missarum solemnias (*cap. fn. pr. h. t. Trid. l. c.*); nam tali tempore et loco frequentior populus convenit. Ob quam rationem satisfaceret Tridentino, si die non festo conveniret magnus populus, v. g. ad concionem vel processionem, et coram illo fierent denuntiationes: item si Parochus uno, alterove festo intermedio omitteret denuntiationes, quia continuitas ista moraliter est intelligenda, ne nimium temporis intervallum inter has denuntiationes intercedat.

3.^o Denuntiationes faciendæ sunt à proprio parochi sponsorum, licet committi possint alteri, sicut alicubi fieri solet per laicos ædituos; nam Trid. talem commissionem non prohibet. Si sponsi sunt actu diversarum parochiarum, denuntiationes faciendæ sunt in utraque parochia; quia sic facilius impedimenta deteguntur.—Si sponsi transtulerint domicilium, circa denuntiationes servanda sunt in primis statuta cujusque diœcesis. Ut verò menti Conciliorum satisfiat, discrimen adhibendum est: et quidem, si sponsi noti sunt in loco contrahendi matrimonii, sufficit ibi fieri denuntiationes; si verò sint ignoti ambo vel alter eorum, denuntiationes fieri debent non tantum in nova parochia, sed etiam in priori parochia, ut ita

^a—Agitur de hac materia in Decreto, *Can. 4. consanguineorum. 3. q. 4. et 30. q. 5. per tot.*—In Trid. S. 24. c. 1. *de reform. matr.*

facilius innotescant impedimenta, de quibus parochi inquirere debent ex præcepto Conc. Lateranensis, cui inhæret Trid. *l. c.*, licet solum meminerit denuntiationum in propria parochia faciendarum. Notat tamen P. Reiff. et alii, quod, si sponsi à loco nativitatis absint per quinque vel sex annos, non sint in eo denuntiandi, sed in loco domicilii, vel quasi domicilii, sicut opifices, famuli etc., nisi specialis ratio aliud suadeat. Expediet autem, si tali casu parochus exigat juramentum ad cautelam, quod nullis sponsalibus vel matrimonio ligentur.

39. Q. II. *Quid juris circa deferenda impedimenta?*

R. 1.^o Populus sub gravi obligatione tenetur manifestare impedimenta latentia; cum omne jus præcipiat avertere peccatum et irreverentiam Sacramenti. Prius tamen ex lege charitatis monendi sunt sponsi de impedimento; et si monitio non prodest, necesse erit manifestare parochi impedimentum.—2.^o Cessat obligatio manifestandi, si exinde grave damnum denuntiatori imminet, vel timeatur grave apud alios scandalum; vel denuntiatio credatur non profutura, sed potius bona fide contrahentibus obfutura; vel si sciatur dispensationem pro foro interno esse obtentam etc. Per hoc tamen non excusatur à denuntiando, quod sub secreto impedimentum cognoverit, quia secreto prævalet reverentia Sacramenti; imò ipsi contrahentes ab Ordinario interrogati, tenentur fateri impedimentum, vel à nuptiis abstinere; etenim quisque tenetur in conscientia delictum proprium manifestare, quando agitur de vitando peccato.—3.^o Si parochus extra confessionem certò novit impedimentum, tenetur illud, sicut quicumque alius, denuntiare Ordinario; nec potest assistere sponsis matrimonium etiam publicè petentibus. At si impedimentum novit tantum ex confessione, debet monere pœnitentem, ut à nuptiis absteat; secus nolentem, utpotè indispositum, non absolvat. Si tamen publicè petat matrimonium, tenetur ei assistere, quia scientia sacramentalis ad actus exteriores non porrigitur, nec ea uti licet (*c. 2. de off. Ord.*)—4.^o Si Episcopus, vel parochus sciunt impetratam esse dispensationem pro foro interno, dissimulare possunt, et sponso copulare; secus verò si quis alius impedimentum denuntiet, quia dispensatio ista non porrigitur ad hunc casum.—5.^o Delato impedimento, officium parochi est interdicere matrimonium, non tamen de illo cognoscere, sed cognitio ista spectat ad Episcopum (*c. fin. pr. et §. fin. h. t.*), licet sit tantum impedimentum impediens: Ordinarius verò, si saltè semiplenè probetur impedimentum, prohibebit nuptias; quia ad avertendum peccatum sufficit semiplena probatio, licet ad dissolutionem matrimonii, utpotè negotium valdè arduum, plena probatio requiratur (*cap. fin. in fin. pr. hoc tit.*)—6.^o Si nullum impedimentum appareat, sponsi obligantur quantocius matrimonium contrahere: si verò illud differant ultra tres vel quatuor menses, novæ denuntiationes faciendæ sunt, ut fertur declarasse Sac. Cong. teste Rebello, quia intra tantum tempus facile novum impedimentum oriri potuit. Quod si autem sponsi sine denuntiationibus contraxerunt, istæ supplendæ sunt post matrimonium ante ejus consummationem (Trid. *loc. tit.*), nisi Ordinarius ex justa causa tales denuntiationes remiserit.

40. Q. III. *Quis, et ex qua causa dispensare possit in denuntiationibus?*

R. 1.^o Jure novo Trid. *l. c.* Ordinarius, uti est Episcopus proprius, legatus apostolicus in sua provincia, prælatus plenissimè exemptus cum clero et populo, capitulum, sede Episcopali vacante: et probabilius etiam Vicarius generalis Episcopi, ctm et iste in materia sibi accommoda veniat nomine Ordinarii; idque praxi et usu confirmatur. Parochus econtrà, cum nomine *Ordinarii* non veniat, regulariter in denuntiationibus dispensare nequit, nisi quantum ei permittit consuetudo in casu necessitatis, qui moram non patitur recurrenti ad Episcopum: ut si concubiniarius in articulo mortis vellet contrahere cum concubina etc., quod procedit etiam in casu, quo Episcopus ex obligatione officii sui tenetur dispensare, quia nullo jure constat, in tali casu facultatem dispensandi divolvi ad parochum.

2.^o Ordinarius facultatem dispensandi potest alteri delegare; nam id nullo jure prohibetur: imò Ordinario licet generaliter omnes causas matrimoniales committere; ergò et facultatem in denuntiationibus dispensandi.—Nec verum est cum Host., Covarruv., Sanch. etc. quod Concilium ad hanc dispensationem eligat industriam personæ Episcopi, ideoque eam delegare nequeat; nam industria personæ non censetur electa, quando negotium à jure committitur prudentiæ personæ incognitæ et indeterminatæ, nisi expressè aliud statuatur.

3.^o Justæ causæ dispensandi in denuntiationibus sunt:—I. Probabilis timor de malitiosè impediendo matrimonio, si denuntiationes præmitterentur.—II. Scandalum publicum; ut si concubiniarius velit ducere concubinam, quæ publicè existimatur ejus esse uxor.—III. Repentinus casus: ut si statim proficiscendum sit ad bellum, vel si copulandi sint concubiniarii, ne à iudice comprehendantur.—IV. Casus revalidandi matrimonii antea publicè in facie Ecclesiæ contracti.—V. Qualitas personæ, ut si Reges et alii proceres velint contrahere, quia eorum matrimonia non solent denuntiarum. Similiter etiam ob ludibrium evitandum remitti solent denuntiationes seni volenti contrahere cum juvencula.—VI. Si instet tempus Adventus, vel Quadragesimæ, præmissa una denuntiatione, reliquæ omitteri possunt.—VII. Denique quæcumque notabilis commoditas, sive spiritualis, sive corporalis, vel incommoditas evitanda.

4.^o Judicare de justitia causæ est Ordinarii, qui, antequam dispenset, summarie et extrajudicialiter cognoscet, an causa sit justa dispensandi: nam Trid. totum hoc committit prudentiæ et conscientiæ Episcopi; et consequenter necessariò non requirit probationes judiciales, sed nudam et planam cognitionem, etiam extrajudicalem. Et quamvis Ordinarius, stante justa causa, non teneatur ex rigore justitiæ dispensare, cum dispensatio sit gratiæ, et non necessitatis, *Can. 15. in fin. 4. q. 7. c. 44. de elect.* ibi: *possit Ordinarius gratiam dispensationis facere*; tamen quando adest causa boni communis vel notabilis commoditatis in bonis animæ, corporis aut fortunæ, obligatur Ordinarius vi officii sui, quo tenetur studere bono subditorum, dispensationem impertiri; alioquin potestas ista non esset ad ædificationem. Idem argumentum currit in dispensatione aliorum generum et materiarum.

In Constit. Benedict. XIV. *Satis vobis* 17 Novemb. 1744 circa matrimonia contrahenda, quæ vocantur conscientiæ, præcipitur:—I. Ut hujusmodi matrimonia contrahenda cum denuntiationum dispensatione celebrentur coram paroco alterius ex contrahentibus: nec sine gravi causa adhibeatur alius sacerdos; et tunc à solo Episcopo deputandus.—II. Ut documenta sic celebrati matrimonii, statim à paroco vel alio sacerdote, ut supra deputato, ad Episcopum transmittantur, transcribanturque in libro distincto ab altero, in quo adnotantur matrimonia publicè contracta, in Episcopali cancellaria sigillis obsignato asservando, et nunquam aperiendo, nisi de licentia Episcopi: documenta autem à paroco transmissa, vel sacerdote, qui illius vices gessit, serventur in secretiori loco penes ipsum Episcopum.—III. Ut proles inde suscepta baptizetur in Ecclesia, in qua aliis baptismus indistinctè confertur, denuntieturque Episcopo intra triginta dies à nativitate dictæ prolis numerandos, vel per parentes, vel per litteras eorum caractere exaratas, vel per aliam personam ab ipsis designatam, ac ejusdem prolis, et utriusque parentis vera nomina in libro adnotentur distincto ab altero matrimoniorum, eodem modo, quo hic, custodiendo.—IV. Ut conjuges apertè moneantur à paroco vel sacerdote, ac supra deputando, harum binarum conditionum adimplendarum pacto eis permitti secreti matrimonii celebrationem sub pœna evulgationis matrimonii per Episcopum faciendæ, licèt hoc contractum sit data per eundem Episcopum secreti fide."

41. Q. IV. *An matrimonia clandestina, sine paroco et testibus presentibus, sint invalida?*

R. 1.º Affirmativè in locis, ubi viget decretum Trid. *cit. sess. 24. c. 4. de ref. matr. ibi: Qui aliter, quam presente paroco, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.* Quo decreto correctum est jus antiquum, juxtà quod matrimonia clandestina erant valida (*c. 2. h. t.*), semper tamen graviter illicita, ut testatur Trid. *cit. c. 4. pr. ex Can. 1. et seqq. 30. q. 5.* Rationes gravissimas, ob quas matrimonia clandestina irritata sunt, insinuat Trid. *l. c.*; uti sunt gravia peccata, pluralitas conjugum, et continuatio adulteriorum; dum aliqui, relicta uxore clandestinè ducta, cum alia palàm contraxerunt, et cum ea in perpetuo adulterio vixerunt etc. Et quia hoc decretum irritans fundatur in præsumptione periculi universalis, sequitur illud non cessare, etsi per accidens in uno, vel altero casu cessent ista mala et matrimonium non negetur.

2.º Decretum hoc Trid. in nulla alia parochia obligat, nisi in qua publicatum et usu receptum est Trid. (*cit. c. 4. in fin.*) Unde:—I. Non stringit fideles in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania Saxoniam, Prussia etc.; quia ob hæresim regnantem in locis non est publicatum. Et similiter non stringit fideles inter Turcas et alios infideles commorantes, cum ibi publicatum non sit.—II. Hæretici in locis, in quibus Trid. publicatum est, ligantur hoc decreto per se et regulariter; cum rebelles subditi non eximantur ab observatione legum, nisi decretum hoc contraria consuetudine

abrogatum sit.—III. Fideles commorantes, v. g. in Hollandia et aliis provinciis confœderatis, ubi Trid. publicatum est, si nullum habere possunt sacerdotem catholicum, videntur validè coram duobus vel tribus testibus contrahere matrimonia: tum quia pia mater Ecclesia videtur condescendere ad eorum valorem; tum quia in talibus locis decretum Trid. moraliter impossibile est observari. Pastor tamen hæreticus non est adhibendus, ut talis recognoscatur à catholicis.

Benedictus XIV per organum sacræ Cong. Conc. coram se habitæ die 13 Maji 1744, generali decreto à se confirmato die 4 Novemb. ejusdem anni, per extensum relato in ejus Bullario tom. 4, pag. 87, declaravit:—I. Matrimonia contracta et contrahenda sive ab hæreticis inter se, sive à catholicis cum hæreticis, aut catholicus hæreticam fœminam ducat, aut catholica hæretico nubat, in fœderatorum Ordinum Belgii provinciis valida esse, etiam si in iis celebrandis non servata fuerit forma à Tridentino præscripta; ità ut, si contingat utrumque conjugem ad catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, non opus sit eos coram paroco catholico consensum renovare: sin autem unus tantum sive maritus, sive uxor convertatur, neuter ad alias nuptias transire potest, quamdiù alter vivit.—II. Similia matrimonia itidem valida esse, etiam contracta extra fines domini eorumdem fœderatorum Ordinum ab iis, qui addicti sunt militaribus copiis, quæ ab eisdem fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas; dummodò uterque conjux ad easdem copias pertineat.—III. Hujusmodi declarationem complecti etiam matrimonia contracta in civitate Mosæ trajactensis, quamvis non jure domini, sed opignorationis tantum à republica fœderatorum Ordinum possessa.—Nota tamen, ex epistola decretali ejusdem Pontificis ad Paulum Carmelitam excalceatum in iisdem provinciis missionarium: *Redditæ sunt*, sub die 17 Sept. 1746, tom. 3, hujusmodi declarationem non suffragari sponsis utriusque catholicis ibidem degentibus, si coram civili magistratu aut hæretico ministro consensum in matrimonium de præsentibus declaraverint, nec illud ad formam Tridentini contraxerint, aut post contractum more hæreticorum consensum renovaverint."

3.º In casu, quo revalidatur matrimonium ob impedimentum publicum, necessaria est præsentia parochi et testium; nam aliàs non erit matrimonium firmum et probabile in facie Ecclesiæ. At si impedimentum est occultum, non est necessaria talis præsentia, ut declaravit S. Pius V, quam declarationem sequitur S. Pœnitentiaria et communis praxis. Nam Tridentino satisfit per hoc, quòd antea matrimonium contractum sit in facie Ecclesiæ, adeoque probari possit; ità ut revalidatio retrotrahatur ad tempus, quo præsentia parochi et testium fuit adhibita—Nec obstat, quòd Clem. VIII feratur dispensasse, ut revalidatio fieret sine paroco et testibus: nam dispensatio ista vel fuit ad majorem cautelam et securitatem, vel necessaria fuit, ex eo quia impedimentum in foro externo fuit probabile: Schmalz à n. 119.

4.º Episcopus contra decretum Trid. non potest dispensare, ut matrimonium clandestinum valeat; nam talis potestas ei non conceditur, maxi-

mè cum ipsi contrahentes reddantur omnino inhabiles ad sic contrahendum. Neque in casibus, in quibus ante Trid. matrimonia clandestina erant licita, hodie post Trid. sunt valida; quia casus isti non reperiuntur excepti à decreto irritante: uti sunt, periculum mortis, grave malum ex publico matrimonio secuturum, malitiosa impeditio matrimonii, periculum amittendæ opportunitatis illud contrahendi, et revalidatio illius publicè contracti, si impedimentum fiat notorium.

5.º Fideles transeuntes ex loco, ubi Trid. non observatur, ad locum ubi observatur, tenentur servare formam Tridentini; nam ratione contractus sortiuntur forum (*c. fin. de foro compet.*); ergò ut validè contrahant, tenentur servare formam substantialem præscriptam matrimonio in tali loco contrahendo. At si ex loco, ubi Trid. observatur, veniant ad locum, ubi non observatur, animo ibi figendi domicilium, validè contrahunt matrimonium clandestinum.— Quod verum est, etiam si ibi figant domicilium solo animo, ut sine parcho et testibus contrahant, si hoc verè transferatur, ut ex infra cit. decreto.— Quod speculativè loquendo, verum est etiam in illo casu, quo data opera se conferunt ad illum locum contrahendi matrimonii clandestini causa: quia utentes jure suo, nihil faciunt in fraudem legis. Sed hodie contrarium est tenendum ex decreto Cong. Conc. an. 1627. 14 Aug. relato etiam à Bened. XIV. Ins. Ecclesiast. 33., quod approbavit Urban. VIII. idemque recepit Archiep. Coloniensis.— Ubi insuper declarantur invalidè contrahere, si per dictum locum transeuntes, etiam sine fraude contrahant, quoties adhuc retinent domicilium in loco, ubi Tridentinum quoad hoc punctum promulgatum est.

6.º Matrimonia clandestina non valent per se in vim sponsalium: ità Sanch., Barbos., Fagn. et alii contra Laym., Conink., etc. Nam talis contractus est absolutè irritatus; ergò nec valet in vim sponsalium, nisi alia esset intentio contrahentium. Hinc S. Congr. teste Joan. Gallemart. respondit Episcopo Patavino, matrimonium clandestinum non resolvi in sponsalia.— Nec obstat *cap. unic. §. idem de despons. impub.*; nam jus præsumit matrimonia impuberum valere, saltè ut sponsalia: quæ præsumptio non stat in matrimonio clandestino, ne scil. actus agentium operentur ultra intentionem eorum.

42. Q. V. Qualis debeat esse parochus assistens matrimonio?

R. 1.º Debet esse parochus proprius domicilii, vel quasi domicilii, ratione cujus fit aliquis parochianus; nam aliæ qualitates à Trid. S. 24. c. 4. *de ref. matr.* non requiruntur in parcho. Nomine parochi veniunt etiam illi, qui cumulativam potestatem habent cum parcho: ut Episcopus, Legatus apostolicus, Papa, Cardinalis in Ecclesiis suorum titularum, capitulum, Sede vacante: item illi, qui vices parochi agunt, ut Vicarii perpetui et temporales. Unde:—I. In parcho non requiritur qualitas sacerdotii; quia sine hac est verus parochus, et assistere potest; cum assistentia non sit actus Ordinis, sed testimonii.—Nec obstant verba cit. Trid. *vel alio sacerdote*, nam particula *alius* non semper est repetitiva similium, sed quandoque dissimilium, prout subjecta materia patitur; sicut Luc. 23.: *ducebantur autem et alii duo nequam cum eo*.—II. Parochus suspensus vel ex-

communicatus, etiam non toleratus, validè assistit matrimonio, quia adhuc est parochus; cum censuræ istæ non tollant titulum parochiæ, neque inficiant talem assistentiam; cum ista nec sit actus jurisdictionis, nec actus officii sub censuram cadens, nec actus testimonii specialiter qualificati; eo quod testes etiam infames recipiantur ad probationem matrimonii.—III. Parochus, cui ordinarius specialiter prohibuit assistere matrimonio, licet assistendo graviter peccet contra præceptum superioris, validè tamen assistit; quia per hanc prohibitionem non desinit esse proprius parochus, ac proinde locus est regulæ: *Multa fieri prohibentur* etc. Ex quo patet disparitas ad c. 46. *de elect.*, quia suspensio privat voce activa et passiva: et cons. inficit electionem: econtrà dicta prohibitio non privat titulo parochiæ. Multò minùs validæ assistentiæ obstat vita criminosa parochi, vel occultus defectus tituli; dummodò ex errore communi habeatur pro parcho, ut aliàs sæpè dictum ex l. *Barbarius* 3. ff. *de offic. Prætor.*

2.º Parochus, licet excommunicatus, potest delegare facultatem assistendi matrimonio; non tamen alii, quàm sacerdoti sive seculari, sive regulari, ex Trid. *loc. cit.*, ubi in delegato requirit qualitatem sacerdotii ibi: *vel alio sacerdote*: secùs sine hac comissione et qualitate sacerdotii invalida est assistentia ob decretum irritans ibi subnexum.— Sacerdos à proprio parcho ad hoc delegatus potest assistere matrimonio nedum intra delegantis parochiam, sed etiam extra propriam diocesim; et multò magis delegatus ab Episcopo, ut probat Fagnan. hoc eod. tit. cap. *Quod nobis* num. 33 et seqq.; non posset autem assistere cum consuetis solemnitatibus, nec sponso benedicere sine consensu parochi intra cujus parochiam contraheretur matrimonium: cum tunc exerceret jurisdictionem in alieno territorio Reiff. hoc tit. §. 2. num. 67.— Venit autem in generali comissione ad sacramenta administranda etiam facultas assistendi matrimoniis; ut com. cum praxi tenet contra Henriq., Sanch. etc. Nam licet parochus propriè non administret sacramentum matrimonii; vulgari tamen et abusivo modo dicitur administrare, quatenùs præsentiam præstat huic sacramento; ergò si vicario alicui generaliter committat sacramentorum administrationem, censetur includere etiam assistentiam matrimonii: si v. g. inter duos parochos vel capellanos bellicos est generalis conventio aut consuetudo, ut alter alterius absentis vices suppleat in actibus parochialibus, validè alter loco alterius assistit matrimonio; cum talis commissio generalis non prohibeatur à Trid.

3.º Licentia præsumpta de futuro non sufficit ad validè assistendum; benè verò præsumpta seu tacita de præsentia, dum parochus est præsens, videt, non contradicit ei, qui vult assistere: ità com. *Ratio* I. quia licentia præsumpta de futuro, non est actu licentia, quàm requirit Trid. sed tantùm esset, si parochus adesset; ergò. Neque locum hic habet rati habitio ex *reg. in 6.*, quia valor matrimonii non pendet ex solo mandato parochi, sed etiam ex consensu partium, qui sine actuali licentia parochi non est legitimus. *Ratio* II. est ex *reg. 43. qui tacet in 6.*, quia tacens tunc habetur pro consentiente, etiam in odiosis, dum facilè posset et de-

beret contradicere, et non contradicit: sed in dato casu parochus facilius posset et deberet contradicere; ergo.—II. Si licentia, conscio sacerdote, petita est, is validè assistit matrimonio, dummodo licentia prius sit data, licèt nuncio in via existente necdum sit intimata; nam talis licentia censetur statim accepta à momento concessionis. Hoc tamen modò illicitè agit sacerdos; quia sacramentum exponit periculo invaliditatis, casu quo licentia est denegata, vel posteriùs concessa. Si autem sacerdote inscio, licentia data est, donec intimetur, non est valida assistentia; quia non censetur acceptata.—III. Ordinarii licentia, ut sacerdos assistat copulationi Titii cum certa persona, non sufficit ad assistendum contrahenti cum alia persona, cui Ordinarius interdixit matrimonium; quia iste casus specialis non venit in generali commissione ex *reg. 81. in 6.*: at si dedit licentiam, ut assistat, præmissis denuntiationibus, his omissis, validè assistit; quia concessio ista censetur conformis juri, juxta quod matrimonium, omissis denuntiationibus celebratum, est validum.—IV. Licentia metu extorta valet, cum nullibi irritetur, sicut irritatur concessio jurisdictionis metu facta (*l. 2. ff. de judic.*) Dolus, nisi sit in causa finali, non vitiat licentiam; quia causa finalis vera, licèt impulsiva sit falsa, sufficit ad validam impetrationem.—V. Revocatio licentiæ non prius sortitur effectum, donec ab Ordinario per se, vel per litteras, aut nuntium sit intimata commissario, licèt is aliunde sciverit esse revocatam: ità Sanchez et alii ex *lib. 17. ff. de off. præsid.* Nam licentia data est voluntate parochi et accepta voluntate commissarii; ergò etiam utriusque voluntate dissolvi debet, scilicet per intimationem ab Ordinario seu Parocho factam.—Nec obstat paritas à delegato, cujus jurisdictio, re integra, expirat morte delegantis (*c. 20. de off. Deleg.*), quia delegatus non potest agere in virtute delegantis, utpote mortui; at in nostro casu commissarius tandiù censetur agere in virtute parochi, donec revocatio mandati ei intimetur; quod etiam accidit in procuratore (*c. 13. de procur.*)

4.º Si sponsi actu sint diversarum parochiarum, validè assistit parochus, sive sponsæ, sive sponsi: ità fertur declarasse S. Cong.; nam propter unitatem hujus Sacramenti parochus unius sponsi fit parochus etiam alterius.—I. Quoad licentiam attendi debet consuetudo diœcesium, juxta quam in plerisque locis copulatio spectat ad parochum sponsæ.—II. Sponsus æqualiter habitans per annum in duplici domicilio, contrahere potest coràm alterutro paroco; licèt conveniens sit, ut contrahens in hyeme, adhibeat parochum hyemalis domicilii et econtrà. Principes et alii magnates coràm paroco sui palatii contrahere debent.—III. Vagi regulariter contrahunt coràm paroco loci, in quo tempore contractus versantur, quia in eo sortiuntur forum: licèt Sanchez dicat probabile, quòd vagi, vel saltèm si unus sit vagus, eligere sibi possint parochum. Circa matrimonia vagorum observandum est præceptum Trid. *Sess. 24. cap. 7. de reform. Matrim.*: ut scilicet nullus parochus eorum matrimoniis assistat, nisi prius facta diligenti inquisitione de ipsorum statu et habilitate, re tota delata ad Ordinarium, atque ab eo obtenta licentia. Quod sanè fit propter evitandum periculum animarum, ne uxores uxoris superinducan-

tur, prolihus noceatur, et alia mala perpetrentur. Idem dic de matrimonio forensium, seu peregrinorum, qui alibi domicilium habent.—IV. Milites in castris contrahunt coràm Curione seu Capellano castrensi, si is à Papa vel Ordinario loci approbatus sit ad curam animarum; et si facultas Curionis extendat se etiam ad præsidia, potestas ista est non privativa, sed cumulativa cum potestate parochi: Sac. Congreg. *In una Belgii* 1683. 29. Maji. Si verò Capellanus bellicus non sit approbatus ad curam animarum, milites contrahere debent coràm paroco loci, in quo existunt, cum iste sit proprius eorum parochus. Ceterum approbatio ab Episcopo unius diœcesis non extendit se ad aliam diœcesim: et ideo non sufficit ad validè assistendum matrimonio militum, ad aliam diœcesim discedentium.

Ex decretis Cong. Conc. relatis à Bened. XIV. Instit. Eccl. 33, ritè contrahere possunt matrimonium coràm paroco loci, intra cujus parochia limites degunt:—I. Prætor, judex, medicus temporalis, professor aliquis facultatis, discipuli et famuli, licèt exteri: circa quod punctum, vide regulam ab Auctore allatam lib. II. tit. 2. de foro comp. n. 20. et seq.—II. Carceribus detenti, dummodo non detineantur pro custodia tantum, videlicet donec eorum causa judicis sententia cognoscatur.—III. Puellæ expositæ in hospicio spuriorum detentæ.—IV. Puellæ, quæ in aliis hospitibus seu conservatoriis servantur et eorundem proventibus aluntur, licèt per breve tempus discedant suos domesticos invisuræ. Puellæ verò, quæ data fide, et viro jam destinatæ per consanguineos invitæ monasteriis detinentur, ex generalibus decretis Congreg. Episc. et Regul. cit. Instit. relatis, extrahi debent ab iisdem monasteriis, licèt Ordinario minime subjectis, ut contrahere possint coràm Paroco, cujus ditioni paterna ædes adjecta judicabitur. Quòd si difficile sit ad extractionem devenire, illæque in alia parochia domicilium non habeant, tunc matrimonium contrahent coràm paroco, intra cujus parochiam situm est monasterium: si verò proprium domicilium habeant, coràm hujusmodi domicilii paroco contrahent, ut probat idem Benedictus loc. cit.

Quis autem debet assistere matrimonio, quod aliquando ineundum est ab iis, qui in xenodochiis in gravi vitæ periculo versantur, ut animæ salutem prospiciant, an scilicet xenodochii capellanus, vel parochus in cujus ditione illud situm est, magna est contentio inter DD. ideoque standum erit in tali casu declarationi, seu deputationi Ordinarii, ut ibidem sentit idem Pontifex. Verum tunc monendus erit ægrotus, ne sanitati restitutus ad uxorem accedat, donec paruerit iis, quæ à S. Officio præscribuntur circa juramentum ab eo præstandum de sua libera conditione, ceterisque impedimentis, juxta instructionem d. Tribunalis relata à Corrado in *Praxis dispensat.* lib. 7. c. 6. n. 23., si temporis spatium non suppetat ea uti, antequam matrimonium sive intra, sive extra præfata xenodochia contrahatur.

Cæterum ex aliis decretis Cong. Conc. cit. Inst. relat. parochus loci, ubi quis degit rusticationis, recreationis vel negotiorum causa; seu ad quem quis se transfert solo animo contrahendi matrimonium, non autem contrahendi domicilium, non est proprius quoad ipsum matrimonium.

43. Q. VI. *Quot et quales esse debeant testes matrimonio interessentes?*

R. Saltē duo; in quibus tamen nulla specialis qualitas requiritur, sed sufficiunt qualitates de jure naturali requisitæ, scil. usus rationis, et plena advertentia ad id, quod agitur inter sponso: ita colligitur ex Trid. S. 24. c. 4. *de refor. matr.* ibi: *duobus vel tribus testibus*: ubi pro testibus nulla specialis qualitas exprimitur; ergo nec nos illam requirere debemus, ne magis in hac materia correctoria recedamus à Jure naturali. Ratio congrua est, quia favor matrimonii exposcit testēs etiam minūs habiles, uti sunt fæminæ, minores, infames (*arg. c. 6. de hæret. in 6.*), ne præcludatur via contrahendis matrimoniis; maximè cum minor idoneitas testium regulariter adjuvetur per excellens testimonium parochi. Unde in hoc extractu cessat edictum prohibitorium de testibus (*l. 1. et seqq. ff. de test. Can. 2. placuit 4. q. 3 c. 28. de sponsal.*)—His non obstat *c. 1. de consang.*; nam ibi non agitur de contrahendo, sed dissolvendo matrimonio; quæ dissolutio, ne fiat cum irreverentia tanti Sacramenti, exigit testes omni exceptione majores.

44. Q. VII. *Qualis, et in quo loco debeat esse præsentia parochi et testium?*

R. 1.º Præsentia ista non debet esse merè *physica*, sicut est dormientium, ebriorum; sed *moralis*, ut testes adsint modo humano, et intelligant quid agatur; non merè *casualis* sine advertentia: si tamen testes, qui casu advenerunt, admoneantur à sponsis, ut attendant contractui celebrando, sufficit eorum testimonium, cum per eos probari possit matrimonium: ita sæpius decidit S. Congreg. Ob eandem rationem sufficit præsentia parochi et testium vi aut dolo extorta, ut com. tenet contra Seguram, et sæpius declaravit S. Congr.; nam hoc modo, cum probari possit matrimonium, obtinetur principalis finis Tridentini; et aliunde *voluntaria* præsentia nullibi à jure requiritur ad valorem matrimonii. Huc valet illud Jcti. *lib. 209. ff. de V. S.*: *Scire, non etiam velle is debet, cum eo invito rectè fit.*

Dices: Ad auctoritatem præstandam requiritur præsentia moralis secundum intellectum et voluntatem; putà, ut quis sciat et velit contractum fieri (*lib. 1. in fin. ff. de auct. tut.*); sed parochus nomine Ecclesiæ debet præstare auctoritatem matrimonio, et sponso copulare per verba: *Ego vos conjungo*, etc.; ergo.

R. *D. M.* Debet præstare de ritu accidentali, *C. m.* De ritu substantiali ad valorem matrimonii requisito, *N. m.* Auctoritas parochi est solum ritus accidentalis, et cons. et sciente invito parochi. valide contrahitur matrimonium, non tamen licitè; quia parochi coacto injuria et præcepto Ecclesiæ contemptus infertur, ac proinde ita contrahendo graviter peccatur. Similiter parochus, si data opera omitat consueta verba copulationis, videtur graviter peccare, cum talis ommissio adversetur gravi præcepto; licet Sanch., Gonz. et alii dicant non excedere veniale; quia verba ista nec sunt de forma Sacramenti, nec de ritu magni momenti.

2.º Matrimonium regulariter celebrandum est in Ecclesia propriæ parochiæ, ut habet com. praxis. Potest tamen parochus proprius extra fines

sua parochiæ, imò et diœcesis assistere matrimonio suorum parochianorum; quia talis assistentia nec est actus jurisdictionis contentiosæ, nec per se exigit actum Ordinis, sicut benedictio nuptiarum, neque locum à Trid. habet determinatum. Si tamen Parochus solemniter vult assistere matrimonio in aliena Parochia, opus habet licentia parochi loci, ne functiones eorum perturbentur. Ex causa aliqua potest parochus matrimonio assistere in oratorio vel domo privata: ut si sponsus vel sponsa ægroset etc. Hæc eadem proportionaliter observat commissarius, cui parochus licentiam dedit assistendi.

45. Q. VIII. *Quomodo probetur valor matrimonii?*

R. 1.º De jure Trident. probatur ex testimonio parochi et testium, uti etiam ex libro parochiali; quia parochus in annotandis matrimoniis constituitur à citat. Trid. *sess. 24. c. 1. de ref. matr.* instar notarii publici.—2.º De jure veteri matrimonium probandum est ab eo, qui asserit esse contractum, quia asserentis est probare ex *l. 2. ff. de prob.*, ex qua regula suppletur textus *c. 1. h. t.* ibi: *Viro incumbit probatio*, putà asserenti vel mulieri asserenti. Si uterque neget, non sunt cogendi ad matrimonium: si verò uterque affirmet matrimonium esse clandestinè contractum, es credendum est (*c. 2. h. t.*) Porrò matrimonium clandestinum, postquam ex judicio Ecclesiæ publicatum est, habetur pro valido, ac si ab initio in facie Ecclesiæ contractum fuisset (*c. 2. in fin. h. t.*) De legitimate filiorum agetur *tit. 17.* et de benedictione nuptiarum *tit. fin.*

46. Q. IX. *Quæ sint pœnæ clandestinè contrahentium, vel matrimonio assistentium?*

R. 1.º Contrahentes matrimonium sine denuntiationibus sequentes incurrunt pœnas:—I. Si tale matrimonium est invalidum ex quocumque impedimento dirimente, sive illud sponsi sciverint, sive non, proles ex illo genitæ sunt illegitimæ (*c. fin. §. si quis h. t.*) Nam ita contrahentes præsumuntur habere malam fidem, et scientiam latentis impedimenti.—Nec obstat, quòd *cit. c. fin.* mentio fiat tantum consanguinitatis, affinitatis vel alterius agnationis; nam de aliis impedimentis eadem est ratio, et gradus prohibiti ponuntur per modum exempli, quod regulam non restringit. At si tale matrimonium publicatum est ab Ecclesia ut validum, proles sunt legitimæ, ut comm. docet contra Maurum; siquidem in *cit. c. fin.* sermo est de prolibus natis ex matrimonio invalido. Imò facta publicatione, quæ retrotrahitur, omnes proles ex tali matrimonio susceptæ sunt legitimæ, licet postea detegatur impedimentum latens; quia approbatio Ecclesiæ tollit omne vitium clandestinitatis, et præsumptionem ignorantia affectatæ; Sanch. *lib. 3. disp. 42 et 43.* Schmalz et alii, licet Brunellus, Rosella et alii dicant, illas tantum proles esse legitimas, quæ natæ sunt post approbationem Ecclesiæ.—II. Altera pœna est, quòd contrahentes sine denuntiationibus priventur omni spe impetrandæ dispensationis in impedimento dirimente (Trid. S. 24. c. 5 *de refor.*), quia non sunt digni gratia Ecclesiæ, qui ejus salutaria præcepta contempserunt: unde circumstantia ista aperienda est in supplicatione dispensationis.—III. Pœna contrahentium matrimonium clandestinum absque præsentia